



**Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis  
Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et  
Justitiae, Sive Decisivi Discursus**

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in  
quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus  
respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum  
luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque  
omnibus in utroque Foro ...

Pars I. De Testamentis, Codicillis, & ultimis voluntatibus. Pars II. De  
Hærede, & Hæreditate. Pars III. De Legitima Trebellianica, & aliis  
Detractionibus

**Luca, Giovanni Battista de  
Coloniae Agrippinae, 1690**

Disc. XIX. Romana legatorum. An legatum relictum consanguineo, cum  
assertione, quod fieret ex charitate, dicatur pium, adeo ut debeatur ex  
minus solejni dispositione; Et quid ubi Ecclesia, vel pia ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74043](#)

commode per alium expleri potest, tunc enim in-  
cumbet solum hæredi faciendi celebrare missas, vel  
alifud opus à moriente volitum adimplendi; Hæc  
autem suspicio in præsenti omnino cessabat ex facti-  
qualitate.

## ROMANA

## LEGATORVM

PRO

CLERIA TORSELLINA

CVM

SOCIETATE SANCTISSIMÆ TRINITATIS  
PEREGRINORUM.

*Causa disputata coram Prelato deputato per Prote-  
ctorem & resoluta pro Cleria.*

An legatum relictum consanguineo, cum assertione, quod fieret ex charitate, dicatur pium, adeò ut debeatur ex minus solemnni dispositione; Et quid ubi Ecclesia, vel pia causa est hæres universalis, an teneatur ad legata prophana relicta in testamento minus solemnii; Et in incidenter, an secundum legatum censematur cumulativum, vel adeptivum cum primo.

- 1 *F* *Acti series.*
- 2 *An secundum legatum censematur cumulati-  
vum, vel adeptivum remisive.*
- 3 *Legatum factum consanguineo est prophanum, et  
iam dicatur fieri ex pietate.*
- 4 *Verbum charitas quid significet.*
- 5 *Dedictione duplicitis cause pia.*
- 6 *De ininterpretatione dicti verbi, de quoniam. 4.*
- 7 *De tractantibus questionem, de quan. 3.*
- 8 *Eiquando propriè dicatur dispositio prophana, vel  
pia.*
- 9 *Eleemosyna est danda potius conjunctio, quam ex-  
traneis, & quod secundum facientes male agunt.*
- 10 *De circumstantiis ob quas in legatario intret ratio  
pietatis.*
- 11 *Quod ista sit quæstio facti ex iibius qualitate deci-  
denda.*
- 12 *An, & quando testamentum ad pias causas suffra-  
getur etiam quoad prophana dispositio-*
- 13 *Attenditur bona fides, ac sinceritas actus.*
- 14 *De circumstantiis attendendis pro bona, vel mala  
fide regulanda.*

## D I S C. XIX.

*C* Amilius Pignanellus, (qui juxta frequen-  
tem humanam stultitiam, à Salamone ex-  
ageratam, cum magna parsimonia, propria  
anima nil concedendo, magnum assen-  
comparaverat), testamentum, & primos

codicillos fecit, quos Confessario tradidit exhiben-  
dos post ejus mortem, istaque sequuta, ali postfe-  
riores codicilli à se scripti, & subscripti, ac sigillis  
muniti, in proprio scrinio reperti sunt; Quibus o-  
mnibus publicatis, compertum est, quod hæredem  
instiebat in testamento Societatem sanctissimæ  
Trinitatis peregrinorum, & convalescentium, in  
primis autem codicilli, inter alia legata relinque-  
bat Clericorum consobrinorum ex charitate scuta bis mille, in  
postremis vero relinquebat eidem ex eadem causa  
charitatis, scuta mille, ea conditione adjecta, ut hoc  
legatum relictum censeretur pro omni, & toto eo,  
quod ab ejus hæreditate prætendere posset; Hinc  
proinde orta est controversia inter hæredem, & le-  
gatariam coram Judice per dictum societatis Prote-  
ctorum deputato, qui ad legataria favorem pro utriusque legati assecuratione pronunciavit, idem-  
que puto, quod gestum sit per judicem appellatio-  
nis, unde propte此 Societas acquievit.

In disputationibus autem, coram uno, vel altero  
Judice habitis, (in quibus pro legataria scribebam),  
duo erant controversiae puncti; Primo scilicet super  
dictorum legatorum debito in genere, cum Socie-  
tas hæres utrumque negaret, ex eo quod codicilli  
in quibus continebantur, essent informes, ac non  
haberent solemnitates, quæ in prophana dispo-  
sitionibus necessariae sunt; Et secundo, posito quod  
dicti codicilli essent validi, & obligatorii, an debe-  
retur utrumque legatum, vel potius secundum scu-  
torum mille tantum, & sic an istud esset ademptiu-  
m, vel cumulativum primi.

De hoc secundo habetur actum in sua particula-  
ri materia *sub tit. de Legatis*, ubi pluries agiuntur, an, &  
quando secundum legatum ad favorem ejusdem  
personæ sit cumulativum, vel ademptivum.

Quatenus vero pertinet ad primum, ille in duas  
inspectiones subdivisusquebatur; Primo scilicet, an  
ista legata dicenda essent pia, adeò ut in eis, non  
obstat defectus solemnitatum, sed intraret dis-  
positio *text. in cap. relatum de testamento*; Et se-  
condo, an posito quod jure prophana dispositio-  
nis regulanda essent, adhuc tamen illa solvi debe-  
rent per hæredem, quæ est causa pia, cum qua so-  
lemnitates juris positivi non attenduntur, unde  
propterea dispositio *dicti text. in cap. relatum*, tam  
acti, quam passi, locum habere deberet.

Quoad primum; Scribentes pro hæredi dedu-  
cebant eamdem conclusionem insinuatam *disc. pre-  
ced.* cum ibi allegatis, ad probandum quod ubi agi-  
tur de dispositione facta ad favorem sanguine con-  
juncti, illa potius referenda sit ad causam naturalem  
conjunctionis sanguinis, quain ad aliam pietatis,  
ideoque non pia, sed prophana dispositio censem-  
da sit, quamvis amore Dei, seu pro salute animæ,  
fieri dicatur.

Clarius vero in hac facti specie, in qua, dicta pietatis, vel religionis causa non exprimitur erga Deum,  
vel animam propriam, sed adhibetur solum terminus,  
seu vocabulum *charitatis*, quod est equivoco-  
rum, & aptum convenire etiam causa naturali, cum  
verbū *charitas* congrue etiam valeat dilectioni  
humana, quæ erga coniunctos, vel amicos, ac be-  
nevolos habeatur; Ideoque duplex pia cause spe-  
cies in jure consideratur; Una quæ respicit amorem  
Dei, ac salutem animæ; Et altera, quæ dicitur pia  
legaliter, non autem spiritualiter ad certos effectus,  
non autem ad istum, ut exemplificari solet in lega-  
to libertatis, ex deductis *dicti 74. num. 10. & seq. &*  
*num. 21. cum seq. par. 2. diversi ubi concordan.*

Quod bene comprobari dicebant ex eo, quod  
in aliquibus legatis factis amicis, & famulis non in-  
digenti-

CDelUCA  
De  
Testamentis  
et ceteris  
GVI

## DE TESTAMENTIS

<sup>6</sup> dignibus, etiam de summis notabilibus, idem charitatis terminus, seu vocabulum adhibetur, unde propterea constat, quod effet consuetudo loquendi testatoris, ita explicandi amorem, ac benevolentiam sub hoc vocabulo charitatis.

Hic tamen non obstantibus, contrarium dicere probabilem (etiam in sensu veritatis per Judicium quoque agnitus); In hac etenim questione in qua nostri maiores se involvisse videntur, ut patet ex alatis per Magdalen. de n. test. par. 2. cap. 2. num. 37. cum seq. Surd. de alim. iiii. 8. privil. 1. Franch. decis. 56. ubi adden. Marciān. jun. resp. 3. part. 1. Rub. de testam. cap. 73. apud quos ceteri; Vera, & germana distinctio videtur, quod; Aut nulla legandi causa expressa est, sed ex legatarii paupertate cadere valeat dubitatio, an magis ex motivo sanguinis, quam ex illa pietatis, legatum factum sit, & tunc in dubio, potius causa naturali sanguinis, quam alteri pietatis, dispositio referri debeat.

Aut expressum est motivum pietatis, illud autem qualitatibus legatarii incongruum sit, quia nempe sit bene provisus, & tunc verius est, ut iste dicatur color quæsus, ut plures expertus sum, quod ex affectata cautela Notariorum, vel partium citrā intentionem testantis id adjici solitum sit; Aut demum, attenta qualitate personæ, congruat pietatis motivum, quia nempe coniunctus dici mereatur pauper, cui charitatis, ac pietatis terminus recte conveniat, & tunc testatore istud motivum explicante, nulla subesse videtur congrua ratio, cur ipsius testatoris expressioni deferendum non sit.

Eleemosyna siquidem, juxta bene ordinatam charitatem, magis distribuenda est conjunctis, ac proximis, quæ extraneis, ex iis, quæ ceteris relatis deducuntur per Franch. decis. 190. ibique Add. & plenè per Rub. de testament. cap. 73. numer. 72. & seq. & num. 87. & seq. ubi plura de more colligit (magnam ostendendo lectorum), contra eos qui habentes pauperes coniunctos, istis neglegit, Ecclesiæ, vel piz cauæ relinquunt.

Hinc proinde, cum in haec facti specie ageretur denobili matrona, vidua, & sene, aliquibus infirmitatibus subjecta, de fortuna bonis parum provisa, atque numerosa familia gravata, utique attenta ejus conditione, pauper dici poterat, atque hujusmodi legata in summa scutorum trium mille, habita proportione ad hereditatem dictæ piz Societati relictam, quā supponebatur esse valoris circiter 80. m. importabant quamdam modicam eleemosynā, factam ex illa saltē morali obligatione, quæ latè ceteris relatis exaggeratur per Rub. ubi supra; Et propterhaec ista videtur quæstio potius facti, quā juris pro facti qualitate prudenti arbitrio decidenda.

Ex his autem, inanis remanebat altera inspectio, an dicti codicilli non solempnes, suffragarentur pro hujusmodi legatis nec ne, quoniam posita pietate dispositionis, ita cessabat quæstio in radice; Verum ubi de illa agendum esset, an scilicet testamentum ad pias causas, valeat etiam quoad dispositiones prophanas; Deducebam eadem quæ habentur supra disc. 12. & in aliis, quod scilicet difficultas cadere posset, quando in testamento, vel alia ultima voluntate imperfecta, adesset solum quedam mixtura accidentalis, vel accessoria causa piz, puta legatorū, adeo ut id quod ad causas prophanas dispositum est, atq. ex hoc defectu indebet remaneat, cedat conformatio legitimihæredis, & tunc intrare potest opinio dividens dispositiones, substituendo scilicet piam, & reprobando prophanas; Sed ubi ipsa pia causa instituta est hæres, unde propterea id quod legataris tolleretur, ipsi pia causa accresceret, tunc ex regu-

la, quod quisque juris &c. & ex altera ratione d. disc. 12. & in aliis pluries insinuata, quod Ecclesia, & pia causa generaliter juris positivi solemnitatem negligere debet, ac potest, solumque procedendum est cum veritate naturali, justum, ac rationabile non est, ut disponentis voluntatem scindat, atque obtineat ea bona quæ scit, quod defunctus, non sibi, sed alteri relinquere voluit.

Potissimum ubi (ut in haec facti specie), dispositio bonam fidem, ac sinceritatem praferat, omnemque tollat machinationis suspicionem, quod scilicet affectate, causa pia, vel Ecclesia hæres instituta est cum minori emolumento, ut ita majus esse valeat illud eorum, pro quibus dispositiones cantant, adeò ut, non improbabiliter de sincera, & perfecta defuncti voluntate dubitari valeat, pro facti qualitate, ut in praecedentibus adverteritur.

Ista vero suspicio in haec facti specie cadere non poterat, stante modicitate legati comparativè ad hæreditatem; Ut enim advertitur infra in Avenionen. disc. 39 ac etiam in Romana de Martinis disc. 33. Verisimile, vel inverisimile, sive magnum, vel respectivè modicum interesse, in hac materia totum regulat; Si enim aliqua machinatio in hoc fieri debuisset ex parte hujus legatariaz, utique, vel tota hæreditatem, vel saltem longè majorē summam pro se captare studuerit; Ac ulterius omnis suspicio penitus abeat ex qualitate istius mulieris, quod non agebatur de testamento, vel codicillis conditis aliena manu per graviter infirmum, quo casu hujusmodi suspiciones, vel quæstiones intrant, sed omnia confecta erant per ipsum testatorem, manu propria accuratè, ac in statu valetudinis, ideoque de naturali veritate, ac sinceritate actus non erat dubitandum.

## ROMANA

## TESTAMENTI

ET

## CODICILLORUM

INTER

## MONASTERIA CONVERTITARUM,

ET

## PUELLARUM MENDICANTUM.

*Discursus in congressu pro veritate.*

An hæreditas directè in testamento relicta Ecclesiæ, vel pia causa, revocari, seu adimi valeat per codicillos favore alterius pia causa; Et incidenter, an pia causa detrahatur trebellianicam contra aliam piam causam?

SVMMA RIUM.

<sup>1</sup> **F** Alli series.  
<sup>2</sup> Hæreditas codicillis dari, & adimi non potest.  
<sup>3</sup> Etiam